

www.e-rara.ch

Historia animalium

Conradi Gesneri medici Tigurini historiae animalium lib. I. de quadrupedibus viviparis - opus philosophis, medicis, grammaticis, philologis, poëtis & omnibus rerum linguarumque variarum studiosis, utilissimum simul iucundissimumque futurum. ...

Gessner, Conrad

Tiguri, anno 1551

Zentralbibliothek Zürich

Shelf Mark: NNN 41 | F

Persistent Link: <https://doi.org/10.3931/e-rara-1927>

De ichneumone.

www.e-rara.ch

Die Plattform e-rara.ch macht die in Schweizer Bibliotheken vorhandenen Drucke online verfügbar. Das Spektrum reicht von Büchern über Karten bis zu illustrierten Materialien - von den Anfängen des Buchdrucks bis ins 20. Jahrhundert.

e-rara.ch provides online access to rare books available in Swiss libraries. The holdings extend from books and maps to illustrated material - from the beginnings of printing to the 20th century.

e-rara.ch met en ligne des reproductions numériques d'imprimés conservés dans les bibliothèques de Suisse. L'éventail va des livres aux documents iconographiques en passant par les cartes - des débuts de l'imprimerie jusqu'au 20e siècle.

e-rara.ch mette a disposizione in rete le edizioni antiche conservate nelle biblioteche svizzere. La collezione comprende libri, carte geografiche e materiale illustrato che risalgono agli inizi della tipografia fino ad arrivare al XX secolo.

Nutzungsbedingungen Dieses Digitalisat kann kostenfrei heruntergeladen werden. Die Lizenzierungsart und die Nutzungsbedingungen sind individuell zu jedem Dokument in den Titelnformationen angegeben. Für weitere Informationen siehe auch [Link]

Terms of Use This digital copy can be downloaded free of charge. The type of licensing and the terms of use are indicated in the title information for each document individually. For further information please refer to the terms of use on [Link]

Conditions d'utilisation Ce document numérique peut être téléchargé gratuitement. Son statut juridique et ses conditions d'utilisation sont précisés dans sa notice détaillée. Pour de plus amples informations, voir [Link]

Condizioni di utilizzo Questo documento può essere scaricato gratuitamente. Il tipo di licenza e le condizioni di utilizzo sono indicate nella notizia bibliografica del singolo documento. Per ulteriori informazioni vedi anche [Link]

Huiusmodi flagrum contextum uel contortum erat (πλέγμα ἡμ) ex fetis suillis: apud Theocritum ὄσπληξ laquei aucupalis genus est, ὅσα τὸ συγκροτεῖσθαι, ὡς εἶνός, ἀπὸ ὑσπρίχιδος πλέγματος. Prima quidē et ppria significatione ὄσπληξ pro scutica feriendī instrumento, quaecumq; id fuerit, usurpatum apparet; postea uero ad carceres etiā certaminum & κερμπίστρα translatum; utrobique enim equi flagris & stimulis (unde & nyssæ ortum uocabulum) incitantur, Hucusq; Eustathius. Hæc etsi magis ad philologiam de sue pertinebant, uocis tamen affinitate illectus cum hystrice posui. De uoce ὄσπληξ plura dixi in Equo philologiæ parte 5. Ὑσπρίχιν, (malim ὕσπριχίς, ut supra) flagellum ē fetis suillis, Varinus. Ὑσπρίξ flagellum ex corio cum ipsis pilis, Suidas. Hystrichidas uocat Hierocles (in Hippiatricis cap. 59.) siue equos ipsos, siue equorum caudas, in quibus setæ suillis similes nascuntur; Ruellio hoc uitij pilare rigorem appellare placuit. Ὀβεία & ὀβείκια, ὕσπρικων ἰσθί τῶν ποσσῶν σκύμνοι, Varinus. Ὀβειάδης, τοῖς τῶν θηρίων ἐκγόνοις, Hesych. Sunt qui leonum etiā et luporū catulos obricala uel obrīa nominēt, Eustath.

¶ Apud Hieronymum mens hystrichula esse uidetur liuore sordida, & uirus mordax missilium aculeorum instar eiaculari consueta, Cæli. Penultimam hystricis Oppianus, ut supra citauī, per duplex gamma protulit, ut necessariō producta esset: aliter enim corripitur, ut apud Calphurnium: Venit & hirsuta spinosior hystrice barba. Videtur autem etiā prouerbij specie, agrestis aliquis & inamœnus, hystrice spinosior dici posse. Sic hystricis seta, δελεῖ ὕσπριχον, ut refert Erasmus, lepide dicitur de dicitario, quod acriter in quempiam tortum fuerit.

DE ICHNEVMONE.

ichneumonis hanc imaginem, cui parum tribui, ex uetusto manuscripto codice Oppiani Venetijs nactus sum.



A.

ICHNEVMON, ἰχθυμῶν, Nicandro etiā ἰχθυότης, hydri siue enydri, id est lutræ species est in Aegypto: quanquam Marcellinus & Solinus non ichneumonem hydri, sed hydriū ichneumonis speciem facit, quasi hydrus latius pateat, quod non placet: hydrus enim, id est lutra (de qua in L. littera seorsim agam) plerisque in regionibus reperitur, ichneumon uero lutra est Aegypto peculiaris iuxta Nilum. Enhydros, alterum ichneumonum genus, Solinus capite 35. Enydros, inquit Isidorus, est bestiola ex eo nuncupata, quod in aquis uersatur, & maxime in Nilo. Hæc Græce ichneumon uocatur, &c. quasi uerò enhydros quoque non sit Græcum uocabulum. Et alibi, Hydrus est animal uolatile (lego fluuiatile) in Nilo fl. inimicum crocodilo. ἰχθυότι, ὅτι τῶν ἰχθυομόνδων λεγόμενοι, Hesychius. Ichneumon Græcè uocatur, inquit Isidorus, eo quod odore eius salubria ciborum & uenenosa prodantur: De quo Dracontius ait, Præcidit (prædicat, fortè) suillus (alīas suillis) uitm cuiuscumq; ueneni. Dicitur est autem suillus à fetis. Apud Albertum neomon pro ichneumon legitur. Latine, inquit idem, suillus uocatur, quoniam fetas habet pro pilis: odore cibum conuenientem à uenenofo distinguit. Ego ichneumonem dictum coniecerim ab inuestigando: Quod sicut canicula (quam forma etiā corporis refert) feras indagat: sic ille inuestigat & obseruat crocodilum & aspidem, eorumq; oua, ut capite quarto dicitur. Aduersus omnia lumbricorum genera miserum in modum medentur pili animalis nominati alcalim, Auicenna libri 3. tractatu 5. fen 16. cap. 6. Andras Bellunensis in castigatis codicibus non alcalim sed harimū legi monet, quodnam uero id animal sit ignorare se fatetur. Sed Io. Manardus in epistolis 3. 1. alcalim interpretatur ichneumonem: quoniam Aegineta etiā (quem Auicenna ferè sequi solet) sic scribit: In uniuersum omnes à lumbricis ægrotantes ichneumones pili iuuant suffiti. Ichneumonem sunt qui murem Indicum uocari modo sentiant, Hermolaus in Plinium. Hæc ætate quod marinam speciem similitudinēq; gerit, uulgò murem Indicum uocant, Gillius. Ichneumo in Aegypto solum nascitur, magnitudine felis, specie muris: uulgò nunc murem Indicum uocant: alij uocant damulam. Albertus deceptus uerbis Arabicis uocat ibim, id est ciconiam quæ tota nigra dorso est, & inuenitur gilua (grisea) etiā, Niph. Est autem locus Alberti in Aristotelem de hist. anim. 9. 6. ubi pro ichneumone anschycomon scribit ceu Græcā uocē, & ab Auicenna thamon uocari ait. Scriptor quidā (nomen iam non occurrit) ichneumonem interpretatur murē Indicum uel murē Pharaonis. Cæterū damulam pro mustela (quam

donolam uulgo Itali uocitant) Albertus, Vincentius Bell, & alij accipiunt: quæ etsi ichneumonî quædam communia habet (corporis formam fortassis, & quod serpentes impugnat) ab ea tamen differre neminem ex eruditis dubitare puto.

B.

Animalia sua habet Aegyptus, ichneumonem & Aegyptiam aspidem, Strabo. Ichneumonem alij caniculæ dicunt similem esse, alij mustellæ, Gillius, Nicander formam eius confert ictidi *ἀμυδρῆς*, id est uiuerræ uel mustellæ rusticæ paruæ, uel (ut alij exponunt) iracundæ. Caterum ictidis magnitudo, teste Aristotele, ea est quæ catuli Melitei. Pilos eius suillis similes Isidorus parum grauis author affirmat, ut præcedenti capite dixi: Nicander *λάχνην* pilos eius appellat, non satis certa uoce; nam uulpi, uulpis, suis, & hominis etiam pilis eam attribuunt poëtæ, ut Varinus docet. Pupillæ paritæ *κακομηχανία*, id est malignam astutiam uel machinationem significant; nam serpentes, ichneumones, simiæ, uulpes & quæcunq; improbè astuta sunt, *λεπτόν ἔκδοσθερον*, id est angustis sunt oculis uel pupillis: boues & oues contra, Adamantius. De cauda ichneumonis uerba Oppiani sunt hæc: *οὐρη οἱ δολιχῆ γὰρ ὀφρονέει τε τίτυκτοι, ἄκροισι κεφαλῆ δόντες δριμύνοισι κερύμβοις ἄντα μελαινομήνη, θηρῶν φοβίσεσι μοίρη.* Hoc est (ut ego interpretor: nam Gillius prætermisit) Cauda ei oblonga, serpentinae similis, extrema sui parte è regione capitis conuoluta, nigricans, & ut serpentibus squamosa. Versum medium corruptum, ex cōiectura sic lego, *ἄκροισι κεφαλῆ δόντες δριμύνοισι κερύμβοις*, donec ex manuscripto codice aliquis meliorem lectionem afferat. Caudam quidem longam & squamosam in eo talem intelligo, qualis propemodum muribus est. ¶ Ichneumonî (inquit Aelianus) utriusq; sexus participi à natura tributum est, ut & suo semine grauiditatem & partum alijs afferat, & ipse quoq; uentrem ferat, & ex se se pariat, (idem ferè de hyena quidam scripserunt:) qui in pugna quam inter se pugnant uicti fuerint, ea bellicæ offensionis nota inuruntur, ut & in uiliorem sexum censeantur, & muliebria patiantur, (Aristoteles idem perdices factitare scribit.) Contrà, ij qui ex bello superiores euaserunt, uictos subigunt, & simul suo semine implent: at uicti ex ea malè à se pugnatæ pugna, hoc præmio afficiuntur, ut & partus dolores sufferant, & ex patribus qui iam ante fuissent, matres reddantur.

C.

Ichneumones & feles tot numero pariunt, quot canes, uescunturq; eisdem. Viuunt circiter annos sex, Aristoteles. Felium & ichneumonum reliqua ut canum. Viuunt annis senis, Plinius cum prius de canum coitu & partu dixisset. Circa fluuios degit, Nilum peculiariter; unde Nemesianus, Et placidis ichneumona querere ripis Inter arundineas segetes. Mihi quidem amphibium uidetur hoc animal, non solum quod circa aquas moretur, sed etiam quod in ijs lutræ instar se mergat. Nam Nicander in Theriacis describens quomodo contra aspidem pugnaturus luto se muniat, sic canit: *ἀντίχ' ὁ μὲν ποταμόνδε καθύλατο, τὴν ψεῖζ' ἰώλοισι τὰ φάρμακα (ἢ τοὶ βυθῶν) ἰλυόσσαν.* Et mox aspidem aliquando mordicus ab eo cauda apprehensam in fluuium trahi, quod apud Strabonem quoq; legimus. Iam cum crocodili uentrem & uiscera per fauces illapsus exedat, necesse est eum diutius absq; respiratione, quam quæ amphibiarum non sunt quadrupedes, uitam agere posse.

D.

Possum de ichneumonum utilitate, de crocodilorum, de felium dicere, sed nolo esse longior, Cicero de natura libro 1. & 5. Tusculan. Beluas etiam in eos ipsos, à quibus beneficium acceperint, uehementer gratas esse, testimonio sunt uel Aegypti admodum fera animalia, felis, ichneumones, crocodili, Aelianus. Et alibi, Cum homini infestissimis bestiis aspidem & crocodilo inimicitias gerunt. ¶ Trochilos (inquit Solinus) auis paruula est: ea dum reduuias (reliquias) escarum affectat, os belluæ huiusce paulatim scalpit, & sensim scalpurigine blandiente aditum sibi in usq; fauces facit: Quod enim hydrus conspicatus, alterum ichneumonum genus, penetrat belluam, populatisq; uitalibus, erosa exit aluo. Eadem omnino scribit Ammianus Marcellinus libro 22. De trochilo aue Aegyptia, alia à uulgarî trochilo, id est regulo (etsi Plinius eandem faciat) in Auium historia dicitur. Crocodilum (inquit Plinius) saturum cibo piscium, & semper esculento ore in littore somno datum, parua auis, quæ trochilos ibi uocatur, rex auium in Italia, inuitat ad hiandum pabuli sui gratia, os primum eius adsultim repurgans, mox dentes, & intus fauces quoq; ad hanc scabendi dulcedinem quam maxime hiantes: in qua uoluptate somno pressum conspicatus ichneumon, per eandem fauces ut telum ali quod immissum, erodit aluum, Hæc Plinius. Alij nullam trochili mentionem faciunt, sed simpliciter in apricantis eius uel dormientis fauces hiantes insilire scribunt. Ichneumones crocodilis apricantibus insidiantes, in oris hiatus intrant, & ex esis uisceribus è uentre mortuorum egrediuntur, Strabo lib. 17. Cum crocodilus humi iacet stratus, (uerba sunt Gillij ex Oppiano) & rictu immenso os gerit patulum, tum ichneumon dolosa consilia de illius pernicie intens, limis oculis tandiu eum obseruat, quoad arcto oppressum somno intuetur: tum confestim (in arena & luto uolutatus, agilis procurrat) & singulari animi fiducia mortis portam ingressus per latum guttur in aluum delabitur. Crocodilus uero inexpectatum malum in uentre sentiens, somno soluitur: & incitato cursu furibundus & consilij inops, longè lateq; uagatur, modò in imam fluuij sedem se demergens, modò magnum acerbatis uirus anhelans sese ad terram abiicit: sed nihil hæc curans ichneumon, & uiscerum (ieco- ri præcipue incumbens) suaui cibo expletur: ac tandem satur, iam exinanito crocodili uentre proflit foras, Hæc ille ex Oppiano, Plutarchus etiam de ichneumone scribit, insidiantem crocodilo corpus diligenter

diligenter amittere limo, & ueluti corijs loricatedum (θωρακιζόμενον) obglutinare. Atqui aduersus crocodilum nihil eget hoc munimento, cum dormientis per fauces illapsus, uentrem exeat eo in loco ubi nihil à crocodili dentibus ei metuendum; quanquam si attingere dentibus crocodilus ichneumonem posset, nihil ei utcumq; crassa luti crusta prodesset aduersus tantam belluæ uim: nam contra aspidis morsus (cum parui & infirmi admodum omnibus huius generis serpentibus dentes sint) luto incrustatum defendi posse facile concesserim. Non igitur ut à moribus belluæ tutior sit in luto se uoluit, sed alia, si modo id facit, eius facti quærenda est causa. Mihi quidem eò difficilius per fauces eum delabi uidetur, si non in luto solum, sed etiam arena, ut Oppianus refert, uoluatur: sic enim & augetur corporis complexus, & exasperatur: utranq; uero ob causam difficilior per angustum (fauces inquit & gulam) descensus. Iam si post lutationem Soli quoq; se exponit, ut crusta dure scat, eodem modo quo in præparatione contra aspidem pugnae, multò adhuc difficilius delabetur, aspero dorso uel totius forte corporis impediente rigore. Aut igitur Plutarchus & alij quidam præparationem eius quæ aduersus aspidem tantum proprie pertinet, ad crocodilum quoq; transfulerunt, quod facile aliquis ex Strabone facere potuit, cuius confusa ferè hac de re uerba sunt, huiusmodi: Οἱ μὲν Ἀρσινότου εὖ κροκοδείλου τιμωροῦσι: οἱ δὲ Ἡρακλεῶτα εὖ ἰχθυόμονας εὖ ὀλεθροτάτους τοῖς κροκοδείλοις, καὶ ἀπὸρ καὶ ταῖς ἀσπίσι: καὶ γὰρ τὰ αὐτὰ ἀσφθέρουσι αὐτῶν (circa hoc pronomē dubitatio est, an ad aspidas tantū, ut mihi uidetur: an ad utrunq; animal, aspidas & crocodilos referri debeat: utriusq; quidem oua ichneumonem perdere a-
 10 pud authores legitur) καὶ αὐτὰ τὰ θηρία τῶν πολλῶν θωρακίζονται: λυλιθίζονται (lego θωρακίζονται. λυλιθίζονται) γὰρ αὐτῶν, ξηραίνονται πρὸς τὸ ἥλιον. εἶτα τὰς ἀσπίδας μὲν τὸ κεφάλειον, ἢ τὸ ὄρας λαβόμενοι, καὶ ταπεινοῦσι εἰς τὸ ποταμὸν, ἢ ἀσφθέρουσι. Τὰς δὲ κροκοδείλους γινέσκουσι (αὐτῶν, ἢ νικῶν αὐτὸν ἡλιόζωντα κεραιότατον, ἐμπήρουν εἰς τὰ χείματα, ἢ ἀσφαζόν-
 20 τας τὰ ἀπλάγνα ἢ τὰς γαστέρας, ἐκδιώκουσι ἐκ νεκρῶν τῶν σωματῶν). Aut igitur, ut supra dixi, authores quidā ichneumonem præparationem aduersus aspidem, ad crocodilum quoq; non rectè transfulerunt: aut si aduersus illum etiam se lutat, alia lutamenti illius quàm contra aspidem ratio est: nempe ut sine arena fiat, & eò adhuc humente lubricoq; non Sole indurato, in crocodili hiatum insiliat, ut ita magis lubrico corpore facilius deferatur, id quod Isidorus innuere uidetur his uerbis: Hydrus cum uiderit crocodilum in ripa ore aperto dormientem, inuoluit se limo, quò facilius possit eius faucibus illabi, &c. ¶ Crocodilorum fœcunditati salutariter natura obsistit: nam oua quæ ex sese crocodili secundum flumina parere solent, inquit ichneumo, ac perdit: & quod magnam admirationem habet, nec oua comedit, nec ad suam, sed ad hominum utilitatem naturæ instinctu conterit, Aelianus. Ichneumo Aegypti, ubi aspidem anguem suum hostem aspexerit, non prius aggreditur, quàm socios uocet, & limo obducto, contra ictus morsusq; sese loriket. Modus armandi, ut primum madefaciat corpus, & in terra se uoluet, Aristoteles. Virum debilem & qui aliorum auxilio egeat significantes Aegyptij ichneumonem pingunt: hic enim si anguem inimicum uideat, non statim aggreditur: sed prius uocatis alijs ex sua specie, sic firmior præsidio angui sit obuiam, Orus in Hieroglyph. 2. 31. Habet aspis (inquit Plinius) internecinum bellum cum ichneumone. Notum est animal hac gloria maximè in eadem natum Aegypto. Mergit se limo sapius, siccaturq; Sole. Mox ubi pluribus eodem modo se corijs loricauit, in dimicationem pergit. In ea caudam attollens, ictus irritos auersus excipit, donec obliquo capite speculatus inuadat in fauces, Hæc Plinius. Ichneumon in pugna aduersus aspidem caudam erigit, quam aspis maximè incipit obseruare quasi minantem, ad quam cum uim suam transfert, corripitur, Isidorus. Oppianus ichneumonem non luto se oblinere, sed corpus arena obruere & quasi sepelire scribit, oculis tantum & cauda (oblonga ac serpentina) prominentibus: sic expectare aspidem. Cum uerò (inquit, interprete Gillio) hanc ignem spirantem animaduertit, statim caudam girum agens, immanem feram prouocat: ea autem capite elato & exerto dente, frustra pugnare aggreditur: nam Ichneumonem nihil metus tardat ad excipiendam pugnam, imo uero ipsam mordicus premens utrinq; se in orbem contrahentem lacerat, & mortiferum ueneuum ore efficiens conficit, & occidit. In luto Nili uolutus ichneumon, apricat se donec tergus siccetur & dure scat, sic irruens in aspidem uel caput eius morsu amputat, uel mordicus apprehensam cauda in fluuium trahit, Nicander in Theriacis. Ichneumones luto incrustati aspides simul & earum oua delent. Inuoluiti enim luto & ad Solem siccati, aspides per caput uel caudam capientes in flumen trahunt atq; occidunt, Strabo: cuius eadem de re uerba Græca paulò superius recitauim. Ichneumon (inquit Aelian.) luto agglutinato sic se obducit, ut militem armis undiq; septum referat: si lutum desit, aqua se alluens seipsum in altum madidumq; sabulum abiiciens, ex improuisis rebus ac fortuitis, arma ad tuitionem sui ingeniosè comparat, continuoq; cum capitali aduersario depugnat: summas autem nares suas, teneras, ac ualde aspidis morsui opportunas, suæ caudæ flexu septus, tuetur: si eas aspis assequi possit, hostem debellauit: sin minus assecutus fuerit, frustra dentes contra lutum exercet. Contra autem ichneumo illi anteuertens, si ex inopinato fauces comprehenderit, illam strangulat. Quocirca tota uictoria cum sit posita in anticipatione, uictor existit, qui moribus alterum preuenterit, Hæc ille. Ichneumon haud ipsam tantum aspidem impugnat, sed etiam oua eius dispergit & dentibus frangit, Nicander: sic catulis suis futuram hostilem perniciem summouens, Aelianus.

60 Præcidit (lego prædicat) suillus uim cuiuscumq; ueneni, Dracontius: uide supra in A. Draconum adipem uenenata fugiunt: item uirus ichneumonum, & cutis cinere in aceto perunctos, Plin. H h

Quid autem per uirus ichneumonum hic intelligat, dubitet aliquis: neque enim uenenati aliquid illos habere legimus: fieri tamen potest ut habeant, sicut & mustelæ, quibus quodammodo similes sunt, ut supra ostendi. Basilisco mustelarum uirus exitio est, Plinius: id est, necant eos odore, Budæus. Sed & morsus ichneumonum non nihil ueneni habere apparet, cum remedia aduersus ipsos scribantur. Est & alia iris ceræ similis & prædura: quam Horus crematam tusamque ad ichneumonum morsus remedio esse tradit, Plinius de gemmis scribens 37.9. Ge. Agricola hanc iridis siue crystalli speciem, à gemmarijs citrinam nominari scribit, & in Misænæ & Boëmiæ metallis reperiri, sed ferè mollem & fragilem, quum Plinio in Perside nascens prædura sit. Perniciosum ichneumonem Martialis dixit. Quod si non totus ichneumon uirosus est, genitalia certe eius talia esse credendum est, ut qui de enhydri siue lutræ genere sit, (animalis certe toto corpore foetidi) cuius testes proximè ad castoreum accedere indicabimus, castorea autem uirosa dixit Vergilius: hoc est grauiter odorata potius quam uenenata. Fugiunt autem serpentes omnia ferè que huiusmodi fuerint. Virus quidem de genitalium odore peculiariter dicitur. Lentum distillat ab inguine uirus, Ver. 3. Georg. Virus uerrinum è scropha ex coitu exceptum, Plinius. ¶ Pilos ichneumonis suffitos ijs prodelle quos lumbrici infestant, capite primo ex Aegineta & Auicenna asserui. ¶ Pro stercore felis, sterco ichneumonis in medicina supponi potest, ut inter Antibalomena Galeno adscripta legitur. ¶ Lotium ichneumonis cum lacte uaccæ nigræ dabis in impetu coli potandum, continuo subuenies, Marcellus.

locustam,
locusta.

a. ^{locustarum H.} οὐρομάχου, ichneumon, & cicadarum genus absque alis, Hesyech. Varinus οὐρομάχου non ichneumonem, sed cicadam tantum absque alis interpretatur. Aristoteles in Mirabilibus scorpionum cicada meminit, sed de his inter insecta. Ichneumon quidem quadrupes merito ophiomachus nuncupatur: siue is contra aspides tantum pugnat, siue etiam, ut conijcio, contra ceteros serpentes. Hunc enim (inquit Cicero) Aegyptij consecrarunt, quod non sinat serpenteis, maximam eius regionis pestem, augeri. Ichneumon quadrupedis & piscis nomen, Varinus. Est & inter uespas ichneumon, quæ cum phalange uel phalagio dissidet, Aristoteli & Plinio memorata. ¶ Epitheta. Solers apud Textorem. Delectat Marium si perniciosus ichneumo, Martialis. Strabo aspidi & crocodilo οὐρομάχου, id est maximè perniciosum esse dicit, ut supra dictum: si quis pro uiroso aut uenenofo interpretari mauult, non admodum repugno. Βασις, μέγα δαῦμα, μεγαδενης, αὐλοβυλος, Oppiano. ¶ Scincus in Nilo natus ichneumone minor est, tanto inferior crocodilo, Hermolaus ex Plinio.

¶ h. Latonæ & Lucinæ sacri esse existimantur. Apud Aegyptios Heracleopolitas uenerationem & religionem possidere feruntur, Aelianus. Idem capite 4. ex Strabone asserui. Ichneumonem Aegyptij colunt, quod non sinat serpenteis, maximam eius regionis pestem, augeri, Cicero. Ichneumones Aegyptij lugent & sepeliunt, eodem quo canes modo, Herodotus libro 2. ubi Valla indagatores transfudit, quod non probo.

DE LAMIA.

A.

LAMIA nomen homonymum est: nam & terrestrem bestiam Libycam (siue ueram illam, siue ue fabulosam,) & spectrum quoddam, & piscem significat. Omnibus quidem illis uoracitatis notam ueteres impingunt. Genuæ, gulosi. Lucilius libro 30. Illo quid fiat lamia, & pitto ixio dentes. Quod ueniunt genuæ illæ, uetula, improba, inepta, Nonius: Versus duo heroici sunt, sed (ut apparet) corrupti. λάμια apud Græcos ferè cum acuto in prima scribi reperio, rarius in media. καρκώ, λάμια, Hesyechius & Varinus. Videtur autem hoc nomē piscis esse, ut uox carco à carcharia detorta sit: nam carchariam marinum piscem uoracissimum, Massilienses hodieque (teste Gillio) suæ antiquitatis retinentes, lamiam appellant: Nisi quis καρκώ forte quasi γοργώ dictam uelit: nam gorgoni (de qua inter boues syluestres iam dictum est) & lamia multa communia sunt, feras esse Libycas, monstrosas, draconum squamis obsitas, deorsum aspicere, unde & κάτω βλέποντα ζῶα dictæ gorgones priuatim. Aut si spectra sunt, hæc habent communia: quod terriculi gratia nominantur, tanquam foeminae quædam, uoraces, oculis exemptilibus. Sed rursus quædam gorgoni attribuntur, ut alæ, &c. quæ lamijs negantur, & uicissim. Multa etiam de onocentauris scribuntur & lamijs similiter, ut species humana, mammae muliebres, summa uelocitas. Recentiores quidam dum lamia etiam equinos pedes tribuunt, ut ueteres onocentauri asininos (posteriores tantum) idem prorsus animal facere uidentur. Sed onocentauri historiam supra post asinum & onagrum abunde retuli. Phocarum odorem habebat, lamia uero testiculos illotos, cameli autem podicem, Aristophanes in Vespis: Græca sic sunt, φάκισ δ' ὄσμη: (εἶχε) λαμίας δ' ὄρχεις ἀπλήτους, πρωκτὸν δὲ καμήλου. Loquitur autem poeta de Cleone: quem phocarum instar male olentem facit, ut qui corarius fuerit, & libidinosus. In scholijs adijcitur, λάμια θεοῦ ἀπὸ τοῦ ἔχειν μέγαν λαμόν: hoc est, Lamia fera à faucium & gutturis magnitudine nominata. φαστινοὶ δὲ οἱ ὄρχεις. εἰδὼλοποιεῖ δ' ἑπτασ ὄρχεις λαμίας. θήλυ γὰρ. Quid si pro φαστινοὶ legas ἀφ' ἑνῶν, hoc sensu. Testes marium sunt: poeta uerò lamia quæ foemina est, testiculos (licenter & iocose) affingit: sed φαστινοὶ apud Suidam etiam et Varinum legimus, ut suspicemur forte aliquid deesse, &